



M. AVRELIUS VALERIANUS MAXIMIANUS cognomento Herculeus, vir natura ferus & immitis, ardens libidine, utpote, qui cum duabus sororibus rem habuisse fertur, consiliis stolidus, civilitatis expertus, ortu agresti, ferox natura, Cæsar Augustus à Diocletiano dictus, probè se ei submisit, atque in omnibus obtemperavit. Tumultus in Galliis, quem Amandus & Aelianus excitauerant, sub specie tyrannidis cum tota factione Bagadarum mira celeritate compressit, statimq; deleuit. In Africa Gentianos devicit, qui vix impetrare pacem. Pullulantibus per varia loca bellis, Constantium hic, Galerium Maximinum Diocletianus sibi adoptauerunt, ac affinitate sibi iunxerunt. Rebus vndique compositis, cum Diocletiano Mediolani Imperium abdicavit: sed paulò post plurimum pœnituit. Nam audiens filium suum Maxentium à Prætorianis militibus electum, è lucania, in qua sedem priuatus elegerat, circa amœnissimos agros, spe resumendi Imperium motus, ad Urbem se contulit, simulans filio fore auxilio. Vnde milites indignati, tumultum excitarunt, quòd talia tentare esset ausus. Sed ille se excusavit, dicens se huiusmodi simulasse, tentaturus num à militibus filius diligeretur. Inde in Gallias profectus ad generum Constantinum insidias ei paravit, ut eum Imperio deturbaret. Sed per Faustam uxorem, quæ patri maritum prætulit, detectæ sunt. Quem Constantinus apud Malsiliam obsessum viuum cepit, eiusque iussu fractis laqueo ceruicibus, occubuit. Talem exitum meruit sanguinarius, & cruentissimus Imperator in Christianos, cum annos x x. regnasset, atate sexagenarius: qui alioqui plures titulos victoriarum habuit, ut in fractis marmoribus Romæ conspicitur, in hanc scilicet formam: M.

A V R. V A L. M A X I M I A N O I N V I C T O A V G. P O N T.  
M A X. S A R M A T I C. M A X. G O T. M A X. I M P. V I I I.  
C O S S.